

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XCIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

lendinum sub *Eichenberg* quod in prædio sæpe dictæ Ecclesiæ indebitè
struxeram, post obitum vitæ meæ cum omni jure usquequaque eidem
conventui assignavi. Et ut hæc inconcussa & invulsa perpetuo ma-
neant, munimine sigilli nostri confirmamus. Peracta sunt autem hæc
Anno ab Incarnat. Domini MCCXXXI. regnante invictissimo Imperato-
re Friderico, sub Diethro ejusdem loci præposito. Hujus rei testes sunt
Ulricus de Helffenstein, Albertus de Rossewag, Henricus de Prewew,
Albertus de Ilsvelt, Herbrandus de Hohenberg, Gregorius Prothonota-
rius, Conradus de Rote, Engelhardus de Windecke, Conradus Schob-
le, Albertus de Rodde.

[XCIX.]

MARCHIO HENRICUS HACHBERG. VILLAM ET EC-
CLES. IN MUOSBACH. ABBATIAE TENNEBAC.
TRADIT.

A N N O M C C X X X I.

Ex Archivo Tennebacensi.

Duplex est utilitas benefacta quorumlibet & Magnatum & Principum
maxime scripture testimonio committere, videlicet ut & rei ser-
vetur veritas & ut a bonis exemplum fumentes alii similia pietatis ope-
ra studeant & ipsi perpetrare.

Z 2

Noverint igitur omnes tam futuri, quam presentes, quod pie memorie *Marchio Henricus* adhuc vivens, cum in quodam sancto die Parasceven in Tennibach divino interesset officio instinctu divino communitus sepulturam & testamentum suum, quod antea sepe prolocutus fuerat, ibidem ordinavit & statim insequenti Paschali ebdomada secundum quod ordinaverat apud Tennibach in *Castro Burchhem*, Domina sua presente ac consentiente cum duobus filiis suis, effectui mancipavit, libera traditione donans B. Marie semper virgini Tennibach & fratribus ibidem Deo famulantibus Villam & Ecclesiam in Mousbach, silvam cum hominibus & cunctis attinentiis jure perpetuo possidenda. Eo autem non multo post transacto tempore de hoc mundo sublato, prefata Domina sua cum filiis coram multis viris honestis, qui sepulture intererant, donationem à vivo factam sub defuncto renovans, iteravit, presentem paginam in testimonium rei geste scribi faciens, sigillo viri defuncti roboratam. Testes hujus rei qui presentes intererant sunt hii. R. de Oufenberc. B. de Æschibach. W. & O. de Stouffen. W. de Horenberc. Der Koler fenior & junior. C. de Bodemen. Advocatus de Limperc. der Rife. E. de Baldingen. Abbas de S. Petro. R. Abbas & totus Conventus de Tennibach. H. Novi Castri Decanus & alii quam plures. Facta est autem hec donatio A. Dom. M. CC. XXX. primo.
